

statim sequitur ordo executionis, nam ut actus sic præfinitus eveniat, applicat Deus illam opportunam vocationem quam accommodatam esse prænovit.

Unde intelligitur hanc partem veram esse, non solum posita formali præfinitione actus liberi, sed etiam posita sola virtuali, quæ est per voluntatem dandi vocationem congruam, nam per illam impletur conditio, qua posita, conditionata scientia transit in absolutam; altera vero pars posita est præcipue propter actus peccaminosos, in quos præfinitio non cadit, ut nunc suppono, et consequenter nec præscribi possunt futuri, in præfinitione vel ex vi prædefinitionis divinæ. Posita etiam est illa pars propter scientiam futurorum sub conditione, quæ non potest esse in prædefinitione divina, cum ordine rationis illam antecedit, sitque omnino necessario supponenda, ut salva libertate actus liberos prædefinire possit; unde etiam obiter constat falsum esse quod hoc tempore confinxerunt aliqui, præfinitionem, seu decretum divinum de effectu futuro conditionato supponi ante præscientiam ejus; illud enim, præterquam quod eadem habet incommoda, sine fundamento fictum, vixque intelligi potest; sed de hac re, quia suam per se integram disputationem postulat, addemus aliqua inferius, præter ea quæ in lib. 2 de Scientia Dei diximus.

*Certitudo prædestinationis in quo fundetur.* — *Sola scientia conditionata non confert certitudinem absolutam de futuro effectu.* — Ultimo vero ex dictis intelligitur sine fundamento nobis attribui illud quod supra retuli, nimirum, juxta nostram sententiam, certitudinem prædestinationis in sola præscientia constitui. Nam, licet dicamus certitudinem conditionatæ scientiæ necessario supponendam esse ante omnem prædestinationem et prædefinitionem actuum liberorum, vel effectuum qui ab illis pendent, non tamen in sola illa neque in præscientia absoluta ponimus certitudinem effectuum prædestinatorum; sed hanc absolutam certitudinem primario fundari dicimus in prædestinatione, seu præfinitione talium effectuum, ut ex dictis satis constat, et ex tractatis in libr. 3 de Auxiliis, cap. 14, 16 et 17. Et breviter patet, quia conditionalis nihil ponit in esse, et ideo sola scientia conditionata non confert certitudinem absolutam de futuro effectu; sed oportet ut aliunde supponatur talem conditionem aliquando esse in re ipsa ponendam. Hoc autem in hujusmodi effectibus primo fit certum

ex vi prædefinitionis Dei, præsertim posita definitione formali, quam nos admittimus; quamvis ad hoc sufficere possit præfinitio virtualis, seu efficax voluntas dandi vocationem congruam, ut videre licet in Molina, in Concordia, quæst. 28, disput. 1, memb. 9 et 10; Vazquez, 1 t. primæ partis, disp. 92.

Addendum vero est imprimis quoad peccaminosos actus, verum esse certitudinem eorum, ut aliquando futuri sunt, non sumi ex prædefinitione, quia tales actus non prædefiniuntur, ut alibi est ostensum; nihilominus tamen, supposita scientia conditionata, per voluntatem permittendi voluntatem sua libertate operari in tali occasione constitutam, conditionata scientia transit in absolutam, et hoc modo illa scientia ejusque certitudo fundari potest in decreto divinæ voluntatis, non prædefinitivo, sed permissivo. Nunquam tamen decretum voluntatis potest esse prima vel adæquata ratio hujus certitudinis, et hoc solum voluit dicere Molina, certitudinem hanc non sumi ex voluntate. Probatur autem, quia si decretum sit permissivum, illud non potest inferre infallibiliter futuritionem effectus permissi, nisi in vi prioris conditionatæ scientiæ; si vero sit decretum prædefiniens, illud quidem semel positum recte infert infallibiliter futuritionem effectus, quia talis voluntas Dei semper impletur. Tamen illudmet decretum, ut sine læsione libertatis humanæ de actu ejus haberi possit, supponit præscientiam conditionatam ejus, ut sæpe dictum est; ante præscientiam autem conditionatam, non supponitur aliud voluntatis divinæ decretum, a quo ipsa certitudinem accipiat; ergo prima radix cognoscendi hæc futura non est in voluntate divina, sed in ipsa scientia et infinita ejus perfectione.

Sed hic occurrebat occasio disputandi an hæc conditionata scientia supponat decretum saltem conditionatum in quo nitatur, vel in quo medio niti possit ejus certitudo; sed de hac re in lib. 2 de Scientia Dei disputatum est, et in fine hujus operis aliquid illi disputationi adjungemus.

#### CAPUT XV.

ABLATA PRÆDETERMINATIONE PHYSICA, NON MINUI DIVINÆ PROVIDENTIÆ PERFECTIONEM.

*Duo ad perfectionem divinæ providentiæ pertinent, et quænam illa sint.* — Hoc videtur esse ultimum incommodum, quod nobis attribuitur, tanquam consequens ad sententiam

nostram de vocatione congrua. Nos vero facile consecutionem negamus, ejusque negationis rationem in hunc modum declaramus. Nam duo potissime sunt quæ pertinent ad perfectionem divinæ Providentiæ. Unum est exacta cognitio, et præscientia, tam speculativa quam practica omnium quæ fuerunt, vel quacumque ratione futura sunt, aut esse possunt; quam scientiam nos maxime supponimus in nostra sententia. Aliud est perfecta voluntas conservandi res existentes, et faciendi futuras, et subveniendi omnibus quarum curam gerit. Perfectio autem hujus voluntatis non in hoc consistit, ut omnia æque velit, vel ut de omnibus æque præfinit aut statuat, sed singulis juxta capacitatem vel exigentiam uniuscujusque. Quis enim dicat ad perfectionem divinæ providentiæ pertinere præfinitio peccata, aut æque præordinare numerum reprobatorum ac prædestinatorum, aut æqualiter legem statuere de alimento præstando bovi ac homini; quo sensu dixit Paulus: *Nunquid de bobus cura est Deo.*

*Altitudo divinæ providentiæ in quo resplendet.* — Sic igitur, licet nos negemus Deum habere talem providentiam humanarum voluntatum, ut sola sua efficacitate eas prædeterminet ad unum in singulis actibus, non propterea diminuimus, sed declaramus potius perfectionem divinæ Providentiæ; quia ad illius perfectionem non pertinet lædere vel impedire usum libertatis voluntatis creatæ, saltem secundum ordinarium modum providentiæ suæ. Quin potius altitudo providentiæ divinæ est ita cooperari voluntatibus creatis, ut eas sese flectere sinat quo voluerint; et nihilominus tam certo et infallibiliter eis uti ad fines providentiæ suæ, ac si illas determinaret ad unum. Quod quidem in bonis actibus, præsertim in supernaturalibus, facit prædefiniendo illos intra se, et applicando media et auxilia quæ novit esse accommodata, et ea speciali cura providendo. In nonnullis item actibus, etiam bonis, naturalis ordinis, et communibus, id fortasse facit sine propria prædefinitione, per solam voluntatem antecedentem, a qua proveniant signa quod tale bonum Deo placeat; sunt autem hæc signa ipsa præcepta, consilia, etc., ratione quorum non dicuntur hujusmodi actu tantum permissi, etiamsi absque propria præfinitione ex communi cursu seu generali concursu provenire possint. In malis autem actibus id facit Deus sola præscientia et mirabili permissione.

*Præcipue objectioni satisficit.* — *Obiectio.* —

Obijciunt vero maxime, quia sequitur actus liberos humanæ voluntatis esse præter intentionem Dei, si ab eo non sunt præfiniti; hoc autem est contra perfectionem providentiæ; ergo. Major patet, quia intentio facit voluntatem efficacem et præviam, quæ prædefinitiva est; ergo ubi non est prædefinitio, non est intentio; ergo quod non est prædefinitum, non est intentum; ergo est præter intentionem.

*Solvitur.* — *Actus prædestinatorum qui ad vitam æternam conducunt, nullo modo dici possunt præter intentionem Dei.* — Respondetur imprimis hanc objectionem non habere locum in supernaturalibus actibus prædestinatorum. Quia omnia quæ sunt ex prædestinatione divina, sunt maxime juxta intentionem Dei, cum prædefinitio nihil aliud sit quam efficax intentio, vel electio virtute includens intentionem; et hoc est quod dixit Paulus: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Ostensum est autem, juxta nostram sententiam, hos actus prædestinatorum, qui ad vitam æternam conducunt, esse ex divina electione, et consequenter esse a Deo prædefinitos; nullo ergo modo dici possunt præter intentionem Dei, sed secundum illam.

Deinde dicitur nullum bonum actum humanum esse præter intentionem, etiamsi fortasse prædefinitus non sit, prædestinatione scilicet absoluta, formali, et prævia ad absolutam præscientiam futurorum. Ratio est quia, seclusa præfinitione, voluntas antecedens, qua Deus vere cupit aliquid fieri et ob eam causam confert media convenientia ut fiat, satis in rigore est ut talis effectus, si fiat, non dicatur esse præter intentionem Dei, sed potius ex illa aut secundum illam. Quia illa voluntas antecedens, licet non sit prædefinitiva, est vera intentio finis; nam ex vi illius necesse est ut divina voluntas velit dare media ex parte ipsius Dei necessaria ad talem finem. Item illa voluntas sufficit ut Deus simpliciter dicatur velle vel optare talem finem aut actum, et ut ipse actus dicatur Deo placere dum fit; ergo satis etiam est ut talis actus non sit præter intentionem Dei, sed secundum illam. Quæ ratio in universum probat de omnibus actibus bonis, etiamsi sint ordinis naturalis, quia omnes sunt secundum beneplacitum seu approbationem Dei, et secundum aliquam intentionem ejus, qua directe vult talem actum, saltem voluntate antecedente, sive hæc sit primaria et ex se, sive secundaria et ex aliqua suppositione, ut mox explicabimus.

Cum autem objicitur intentionem dicere voluntatem efficacem, etc., respondemus non oportere intentionem esse omni ex parte absolutam, ut sic dicam, et consequenter neque necessarium esse, simpliciter et ex omni parte esse efficacem, sed tantum respectu intendentis, quamvis respectu aliorum possit conditionem includere. Sic enim qui decrevit agere iter cum socio, si ipse velit et non alias, vere intendit; unde si postea iter agat, illa voluntas satis est ut dicatur propter illum finem operari; quamvis respectu socii illa voluntas conditionem incluserit, sine qua non haberet effectum. Ad hunc igitur modum se habet voluntas antecedens Dei, et ideo sufficit ut dicatur effectus esse secundum intentionem Dei. Quod autem supra dicebatur, inter præfinitionem et permissionem non esse medium, falsum est, nam datur voluntas antecedens, ut est explicatum.

*Peccata omnia dici possunt præter intentionem Dei esse.* — Tertio ergo de malis actibus addimus, peccata omnia merito dici posse præter intentionem Dei esse, quia non solum sunt absque prædefinitione divina, sed etiam absque simplici complacentia, quam Deus in illis habeat, et absque voluntate antecedenti qua Deus illa intendat. Unde nihil operatur Deus ex intentione, qua velit ut actus mali fiant, sicut operatur in omnibus bonis cujuscumque ordinis sint; sed quoties influit concurrente ad malum actum, operatur ex alia intentione, præsciens et permittens effectum alicujus mali actus; ob quam rationem Scriptura simpliciter dicit peccatum esse contra voluntatem Dei, et esse Deo invisum, odio habitum, atque etiam ignoratum, scientia scilicet quæ approbationem includat; ergo merito dici potest esse præter intentionem Dei. Dices: ergo etiam dici poterit contingenter, id est, casu et fortuito eveniens respectu Dei. Respondetur negando consequentiam; quia hæc verba non solum significant esse præter voluntatem et intentionem, sed etiam præter scientiam, seu præscientiam et permissionem. Atque hoc est quod Molina docere voluit citatis locis, nam loquitur vel de lapsu primi hominis, vel de aliorum hominum peccatis, vel de nonnullis effectibus, qui ita ex illis proveniunt, ut si peccata non essent, nullo modo illa evenirent.

*Objectio.* — *Solvitur.* — *Duobus modis intelligitur Deus aliquid præfingere.* — Dices: ergo etiam Christi passio dici debet præter intentionem Dei, quia solum ex peccato seu

occasione illius introducta est. Et idem argumentum fieri potest de actu poenitentiae, et aliis qui, licet sint boni, necessario supponunt culpam; hæc autem sunt et contra dicta in priori illatione, et contra modum loquendi Scripturæ. Respondetur absolute negando sequelam, sed solum sequitur hæc non esse ex primaria intentione, seu institutione Dei, non autem non esse ex aliqua saltem secundaria. In quo multum differt inter ipsa peccata, et actus seu effectus bonos, qui occasione peccatorum fiunt; itaque duobus modis intelligitur Deus aliquid prædefinire, seu absolute velle, et ordinare. Primo ex se, et ex sola sua bonitate et sapientia, quomodo nos credimus voluisse incarnationem filii sui, prædestinatorum gloriam, mundi creationem, et similia, quæ dicuntur esse ex primaria Dei intentione et institutione. Secundo, vult quidem Deus aliquid, non tamen ex se solo, et quasi ex primaria inclinatione sua, sed ex aliqua hypothese, et præsertim occasione alicujus culpæ. Et hujusmodi sunt omnia quæ Deus præcise vult in remedium vel vindictam peccati. Hæc enim Deus absolute non vult donec necessaria vel utilia esse judicet, occasione alicujus peccati prævisi. Et hæc comparatione priorum dicuntur in Scriptura non esse facta a Deo, et consequenter nec volita; hoc enim sensu dictum est: Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione morientium, et Deus neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire; quamquam ex hypothese revera Deus velit et facia tilla.

*Molina dictum, quod quidam parvuli ita pereant, ut parentes illis subvenire nequeant, effectum esse et poenam peccati primi parentis, in quo sensu intelligendum.* — Et in hoc sensu dixit Molina in dicta disp. 4, q. 49, pag. 350, juxta primam editionem, quod quidam parvuli ita pereant, ut parentes illis subvenire nequeant, effectum esse et poenam peccati primi parentis, idque non per se, sed per accidens, ex ipsa dispositione causarum universi, et primi parentis casu seu lapsu, præter Dei institutionem ac voluntatem. Quæ verba in sinistro sensu quidam modernus interpretatus est, cum verus sensus et facilis sit et certissimus. Loquitur enim de institutione et voluntate quam Deus ex se habuit, circa salutem hominum, vel in statu innocentiae, et ante prævisum lapsum primi hominis, quæ absolute dici potest primaria institutio et voluntas, vel etiam post lapsum primi hominis,

quatenus ex se voluit omnes ab illo malo redimi ac liberari. Quæ est secundaria institutio respectu prioris, tamen etiam est primaria et per se comparatione facta ad damnationem eorum qui non salvantur. Et comparatione utriusque institutionis Dei, dicitur esse præter intentionem ejus, quod aliquis salvari non possit. Et eodem sensu dicitur hæc impotentia esse per accidens, non quia simpliciter eveniat casu respectu Dei; constat enim esse prævisam et permissam, sed quia non ex ordinante antecedenteque Dei voluntate provenit; sed solum ex voluntate quadam consequente, et quasi acceptante illud malum poenæ, in vindictam culpæ, supposita permissione ejus, et prævisione ex generali cursu causarum universi. Unde inferius circa quæstion. 22, art. 2, pag. 334, dixit idem auctor comparatione causæ primæ nullum esse effectum fortuitum, quia omnes sunt prævisi et subjacent divinæ providentiæ, quamvis non omnes sint intenti, sed aliqui tantum permissi.

*Non solum culpæ, sed etiam aliqua poenæ non intenduntur a Deo, sed tantum permittuntur.* — *Est in Deo voluntas absoluta, qua vult poenam in vindictam peccati.* — Indicat tamen ibidem non tantum culpas ipsas, sed etiam aliquas poenas esse ex his effectibus, qui non intenduntur a Deo, sed tantum permittuntur, quomodo ait: Non oportet ut mors illius qui, dum natum voluit, suffocatus est, fuerit a Deo intenta, sed tantum permissa. Nihilominus tamen negari non potest quin magna intercedat differentia inter peccatum et illud malum, quod tantum est poena peccati. Nam peccatum non solum non est intentum a Deo, sed nec simpliciter volitum voluntate consequente, sed pure permissum; poena autem, qualis est mors ejus qui suffocatur, etsi non sit intenta propria intentione quæ antecedit executionem et præparet media ad illam, tamen, supposita præscientia peccati, et quod talis effectus eventurus sit, si reliquæ causæ universi suo cursu agere sinantur, revera est in Deo voluntas absoluta, qua vult talem effectum in vindictam peccati, quia hoc bonum et justum est. Unde ratione hujus voluntatis dicitur in Scriptura nullum esse malum (utique poenæ), quod non fecerit Dominus, quod non dicitur unquam de malo culpæ, seu de actibus moraliter malis.

Neque hanc differentiam negare voluit Molina, nam diserte explicat paulo inferius, circa artic. 4 ejusdem quæst. 22, p. 380. Vas-

quez enim de actibus peccatorum dicit Deum nec intendere illos, nec ullo modo velle, sed tantum permittere; in pag. vero 301, loquens de aliis effectibus, qui sunt poenæ peccatorum, dicit Deum eos velle, vel sub hac conditione, si peccata committantur, vel absolute voluntate consequente, scilicet, quia, posita præscientia peccatorum, jam absolute vult alios effectus illos in vindictam peccatorum. Quocirca quando hi effectus dicuntur permissi, non id dicitur ad excludendam hanc voluntatem consequentem Dei, sed ad excludendam præviam intentionem, in cujus virtute per se et directe præparentur media ad talem finem, seu effectum. In quo etiam addo hoc genus intentionis necessarium quidem non esse in omnibus his effectibus, quia per se plus habent acerbis quam clementiæ; nihilominus tamen non repugnare, quin hoc etiam modo sint aliquando intenti a Deo, et ad illos præparentur et ordinantur media per divinam Providentiam specialem. In quo etiam differunt ab actibus peccatorum; estque ratio differentiae clara, quia hi effectus non sunt simpliciter mali, nec divinæ bonitati repugnantes, sicut peccata.

## CAPUT XVI.

QUALEM PROVIDENTIAM GRATIÆ CIRCA REPROBOS COGANTUR PONERE AUCTORES QUI PHYSICAM PRÆ-DETERMINATIONEM AD SINGULOS ACTUS PUTANT ESSE NECESSARIAM.

*Secunda pars hujus operis, in qua examinantur ea dogmata quæ ex necessitate physicæ prædeterminationis aperte inferuntur.* — Refellimus hactenus dogmata quæ vel nobis falso attribuuntur, vel ex nostra sententia male inferuntur; superest ut in hac secunda hujus operis parte, ea dogmata examinemus quæ ex necessitate physicæ prædeterminationis aperte inferuntur, et a defensoribus illius sententiæ non gravate admittuntur.

*Cabrera, disp. 6, dub. 4, n. 92.* — *Ead. disp., dub. 4, num. 45 et 49.* — Primum dogma est, Deum ita providisse omnibus hominibus, quos non prælegit ad gloriam, de remediis ad salutem necessariis, ut per se ab extrinseco illis impossibile sit salvari. Non assero propositionem hanc sub his terminis ab eis tradi, sed assero in dictis ab eis evidenter contineri. Nam imprimis dicunt *liberum arbitrium infallibiliter deficere, nisi Deus efficaciter inchoet actum bonum*; intelligunt enim, ni-